

INITIUM SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM




IN PRINCIPIO ERAT VERBUM

et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est; in ipso vita erat, et vita erat lux hominum; et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. *Hic genuflectitur*

ET VERBUM CARO FACTUM EST

et habitavit in nobis et vidimus gloriam eius: gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Deo Gratias.



DEUS, QUI HUMANAE SUBSTANTIAE dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia saecula saeculorum. Amen.

Lavabo inter innocentes manus meas:
et circumdabo altare tuum, Domine.
Ut audiam vocem laudis
et enarrem universa mirabilia tua.
Domine, dilexi decorem domus tuae:
et locum habitationis gloriae tuae.
Ne perdas cum impiis, Deus animam meam:
et cum viris sanguinum vitam meam:
In quorum manibus iniquitates sunt:
dextera eorum repleta est muneribus.
Ego autem in innocentia mea ingressus sum:
redime me, et miserere mei.
Pes meus stetit in directo:
in ecclesiis benedicam te, Domine.
Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto
sicut erat in principio et nunc et semper
et in saecula saeculorum. Amen.